



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

12 Gratia de altari priuilegiato concessa, an, non expressa ueritate, ualeat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

coniunctus pro coniuncto spiritaliter, vel carnaliter sine eius mandato aliquid impetrare valide potest: capit. nonnulli § sunt & alij de rescript. & quia dispensatio, & impetratio beneficij & priuilegij ab alio, pro alio sine mandato eius fieri potest, cap. ex ore. de his. quæ fiunt a maior. par. cap. & cap. innotuit. de elect.

DECISIO V.

Ex conf. 5. alias 4. de iudicij.

5 **F**acultas dispensandi cum ijs, qui publice: & bona fide in tertio, & vltiore gradu Matrimonium contrahunt, in foro tantum conscientie per Bullam Cruciatæ Commissario concessa, cum quibus in eo foro Commissarius dispensauit, etsi de impedimento in foro exteriori confitet, & de dispensatione; Iudex tamen secundum suam conscientiam, & veritatem iudicare potest matrimonium illud non esse validum; quia dispensatio illa quoad forum exterius, & contentiosum nihil operatur; eo quod tam facultas dispensandi commissarijs Cruciatæ a Papa concessa, quam dispensatio per illos super impedimento matrimonij facta, quoad effectus fori interioris, & conscientie tantum fuerit limitata, & ideo quoad forum contentiosum actus eorum non valet; cum actus agentium vltra eorum intentionem non operentur; l. non omnis ff. de rebus cred. & limitata causa limitatum producit effectum; l. in agris ff. de acqu. rer. domin. & iudex secundum eam veritatem solum, quam vt iudex nouerit, iudicare debet ex S. Tho. 2. 2. q. 60. ar. 1. 6. & q. 67. ar. 2. & proinde hoc matrimonium, quoad forum exterius, & contentiosum non esse validum iudicare potest quamuis in foro interiori validum esse sciat.

DECISIO VI.

Ex conf. 6. alias 2.

6 **F**acultas concessa Prælato religionis dispensandi cum suis religiosiis super irregularitate occulta, valida non est, nec ea prælatus ante Bullarum expeditionem vti potest; cum hæc concedentis esse censeatur.

DECISIO VII.

Ex conf. 7. alias 23. de celeb. Mis.

7 **I**ndulgentia, vel dispensatio quod obligatus ad horas canonicas dicendas satisfaciat, dicendo decies Pater Noster, & decies Ave Maria si tenetur febre, vel tanto alio dolore, quod eas commodè recitare nequeat, ad cæcum, vel dolore oculorum ita laborantem, vt sine periculo perendi visum eas recitare non possit, simpliciter non extenditur, quia sola cæcitas febrim, aut dolorem impediendam recitationem non inducit: Huiusmodi autem facultas, aut dispensatio non valet ob febrim, vel alium dolorem horas recitare, vt non tenetur, parum prodest.

DECISIO VIII.

Ex conf. 8. alias 39. de penit. & remiss.

8 **I**ndulgentia pro mortuis concessa, ad viuos non extenditur, etiam si quis pro viuis Missam celebret, sicut eam consequitur anima mortui, si pro ea celebretur.

DECISIO IX.

Ex conf. 9. alias 38. de penit. & remiss.

9 **I**ndulgentiam ieiunanti, oranti, & elemosinam facienti feria quarta, sexta, & sabbato vnius hebdomadæ concessam, non consequitur is, qui vna tantum præfatarum feriarum tantam elemosinam facit, quantum omnibus tribus erat facturus: cum concessio indulgentiæ strictè interpretanda sit; Argum. cap. porro. de priuileg. & copulatiua dispositio, vt vera sit, omnes eius partes veræ esse debent. l. si hæredi plures, ff. de condit. institut. Nec indulgentia alicui, nisi totum illud faciat, quo ad acquirendum illam præstituitur, acquiritur, adeo quod nihil queritur, etiam si bona pars illius fiat. Extratrag. Vnigenitus. de pen. & remiss. vnde sicut

ad indulgentiam acquirendam non sufficit vna, vel diuinas præfatarum feriarum ieiunare & orare, ita nec elemosinam in vna tantum dare. Quamuis enim id quod dandum, vel faciendum est aliquo tempore, fieri potest ante illud, quando tempus in fauorem debitoris adiectum est, non tamen id fieri potest, quando in fauorem alterius adiectum est, vt in casu proposito contingit, vbi onus de faciendo elemosinam tribus diebus adiectum esse videtur, vt diutius, & pluries bene operetur: sicut nec iussus septem psalmos pœnitentiales septies septem hebdomadibus, satisfaciit, dicendo illos septies in vna septimana si tempus adiectum non fuerit in fauorem eius, vt leuius eos recitare posset, sed ad hoc vt maiori tempore peccata defleat.

DECISIO X.

Ex conf. 10. alias 36. de penit. & remiss.

10 **I**ndulgentia mortuo per opus existentis in statu malo quaeri potest, siue opus, ob quod conceditur indulgentia, sit Missa, quæ ex opere operato prodest, siue alia, quæ tantum ex opere operantis valet.

DECISIO XI.

11 **P**œccans spe veniæ consequendæ per Bullam tam concessam, vel postea concedendam, absolui per eam potest, nisi Bullam, vel indulgentiam concedens illum ab eius commo excipiat.

DECISIO XII.

Ex conf. 11. alias 1. de rescript.

12 **G**ratia de altari priuilegiato a Papa alicui ecclesiæ facta ad petitionem alicuius dicentis, quod in ea sint viginti sacerdotes, etiam si non sint plures quam quindecim sacerdotes, valet.

DECISIO XIII.

Ex conf. 12. alias 6. de temp. ordin.

13 **D**ispensatio & gratia facta Subdiacono occulto, & male ordinato vt uxorem ducere possit, non viciatur eo quod tacuit, præsertim sine dolo, quod erat affinis vxoris; neque secunda gratia postea impetrata vt affinem ducere possit non facta mentione de dispensatione super ordine, irrita censeferi debet, quia res separatæ sunt, quarum vna alteram non auget; nec villo iure requiritur, vt mentio alterius in altera fiat: Sicut nec gratia facta de pœna adulterij requirit mentionem de gratia pœnæ periurij, lusus, vel homicidij; nec gratia pluralitatis beneficiorum facta illegitimo mentionem gratiæ factæ ei de non ieiunando vel non soluendo pœnam periurij, requirit; cum hæres separatæ sint, quæ circa idem non versantur; secus tamen in illis quæ circa idem versantur; vnde indulgentia secundi homicidij, non facta mentione de prioris indulgentia, non valet; l. 2. C. de episc. audient. Nec dispensatio super pluralitate beneficiorum illegitimo concessa valida est, non facta mentione de priore dispensatione, qua ad vnum habilis effectus est; ca. 2. de filijs presb. in 6. eo quod lex mentionem iterationis delicti requirit, & dispensationes se contingunt, & circa idem versantur, ita vt tacitum, delictum, & defectum expressum, super quo dispensatur, augere soleat.

DECISIO XIV.

Ex conf. 13. alias 14.

14 **A**bbas priuilegium conferendi ordinem Subdiaconatus a multis summis Pontificibus ante Concilium Tridentinum concessum & confirmatum habens, cuius etiam Priuilegia omnia generaliter a Papa post dictum Concilium confirmata sunt exceptis his, quæ Concilio Tridentino sunt contraria, huiusmodi Priuilegio ordinandi subdiaconos nunc vti non potest: cum dictum Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 8. 10. & 12. solis episcopis ordinationem ad sacros ordines referret, & alijs Priuilegijs suo decreto contrarij expresse deroget: Nec Papa per soam generalem